

opusdei.org

Rescripto de la Sagrada Congregación de Religiosos con algunas precisiones sobre los miembros Supernumerarios; 8- IX-1949.

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

19/01/2012

AGP, Sezione Giuridica, V/15032.

EX SECRETARIA N. 6592/49

SACRAE CONGREGATIONIS

DE RELIGIOSIS

Beatissime Pater,

Sac. Ioseph Maria Escrivá de
Balaguer, Praeses Generalis Instituti
Opus Dei, ad S.V. pedes humiliter
provolutus, ut vita perfecte Deo et
ammabus in Instituto consecrata
membris sic dictis Supernumerariis
plenius atque strictius extendi et
applicari valeat, facultatem exposcit
novam introducendi in Instituti
constitutionem ac compaginem
praedictorum membrorum figuram
quae satis utilis atque efficax futura
praevidetur. Ipsa postquam

opportuno tempore convenienter probata ac limata videbitur in Constitutionem corpus ex benigna S. V. concessione recipi valebit. Haec nova Supernumerariorum membrorum figura his brevibus tractibus defniri clare potest:

1°. Inter membra Supernumeraria nova admittenda videtur figura seu classis, quae nomine Supernumeraria Interna ab aliis discernitur.

2°. Supernumerarii Interni, illi, Superioris iudicio, viri ac mulieres in respectivis Sectionibus reddi possunt qui licet non omnia requisita forsan habeant quae pro membris stricte dictis in Instituti Constitutionibus exiguntur, tamen cum coelibes vel ab omni vinculo liberi vel soluti sint, vitam integram Deo et animabus ad instar Numerariorum plene consecrare solide ac fortiter volunt.

3°. Supernumerarü Interni omnia officia Numerariorum suscipiunt, et ipsorum identicis mediis asceticis ad assequendam perfectionem uti debent.

4°. Ad Admissionem recipit Consiliarius, prout fit ad complendam Admissionem Numerariorum: itemque, ad Oblationem et-Fidelitatem accipit socios Supernumerarios Internos Consiliarius, servatis normis n. 325, 1.°.

5°. Oblatio et Fidelitas secumferunt pro Supernumerariis Internis ea ipsa et omnia officia et obligationes quae pro Numerariis: et vinculum quo illa membra cum Instituto ligantur est pariter mutuum ac pienum. Proinde, cum omnia requisita consecrationis vitae pro membris stricto sensu Institutorum Saecularium in Const. "Provida Mater Ecclesia" recensita habeant, Supernumerarii Interni in

statu completo perfectionis
adquirendae de facto sunt, licet in
Instituto a membris strictiore sensu
ad normam n. 1 Constitutionum
sumptis apte sint distinguendi.

6°. Vivere possunt privatim, ab aliis
membris Instituti seiuncti, quod in
genere opportunius videtur: sed
etiam de iudicio Consiliarü una cum
Defensore vel Sacerdote Secretario,
vitam familiae in Instituto ducere
valent, in Centris aut domibus
proprüs, in quibus ordinarie labores
apostolatus evolvuntur apud gentes
propriae classis socialis.

7°. Munera regiminis in Instituto non
habent: sed Consiliarius Regionalis,
una cum Defensore vel Sacerdote
Secretario, inter ipsos seligere potest
sic dictos Consultores, quo melius
labores apostolicos in proprio
uniuscuiusque Consultoris coetu
sociali evolvantur.

8°. Quoad fieri possit et in servitium Sanctae Ecclesiae, moderare conantur activitates -tum officiales cum privatas- sociales, profesionales, oeconomicas, etc., illorum qui propriae classi et conditioni sociali pertinent.

Vigore facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis religiosorum Sodalium praeposita benigne annuit pro gratia iuxta preces, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis, die 8 Septembris 1949.

P. Arcadius Larraona

Subs.

Ph. Schioppa, Ad. a Studiis.

A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

.....

pdf | Documento generado
automáticamente desde [https://
opusdei.org/es-es/article/rescripto-de-la-
sagrada-congregacion-de-religiosos-con-
algunas-precisiones-sobre-los-
miembros-supernumerarios-8-ix-1949/](https://opusdei.org/es-es/article/rescripto-de-la-sagrada-congregacion-de-religiosos-con-algunas-precisiones-sobre-los-miembros-supernumerarios-8-ix-1949/)
(28/02/2026)